ILLUSTRISSIMO, AC SPECTATISSIMO VIRO D. STEPHANO DE RUBEIS JURIS UTRIUSQUE...

Stefano Rossi, Fabio Svanazzini

Digitized by Google

18

ILLUSTRISSIMO, AC SPECTATISSIMO VIRO

D. STEPHANO DE RUBEIS

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI

PRAESTANTISSIMO

SOPHIAE SUBLIMIORIS, ATQUE VIRORUM

LITTERATORUM CULTORI PRAECIPUO

SE, SUASQUE

DE JURE NATURAE, ET GENTIUM THESES

IN OBSEQUENTISSIMI ANIMI ARGUMENTUM

O. D. C.

FR. FABIUS SVANAZZINI

EREMITA AUGUSTINIANUS

THEOLOGICAE FACULTATIS AUDITOR.

1872

FLORENTIAE, MDCCLXVI.

APUD JOANNEM RISALITI

CUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Antiqua Sapientia nil aliud, quam agenda, & vitanda praecepit; & tunc longe meliores erant viri: poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa, & aperta virtus in obſcuram, & ſolertem Scientiam verſa eſt, docemurque diſputare, non vivere. Seneca Epiſt. 95.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME DOMINE.

THeſes haſce, quae extremis tantum labiis delibatam iuris naturae, & gentium doctrinam exibent, tuo nomini nuncupare octabam, Męcenas Ampliſſime, ut cui ſumma cum integritate, & ſuavitate morum lux ingenii pura fulget, qua potis es unumquemque tibi amicitia coniumctum aequis conſiliis temperare, bonos, & doctos iuvare, in quo licet ac promovere, multoſque etiam bene monendo ad rectum leniter trahere, adeſſes patronus, & iudex diſputationi, in qua genuina legum naturalium principia enucleantur, totaque humanae vitae ratio concluditur. Hinc enim quo animo erga Deum, & homines eſſe oporteat, edocemur: hinc ut poſſimus noviſſe bonum, malumque. Quum autem ſine Deo vir bonus nemo eſſe poſſit, ut ait Seneca, principia luris auſpicati ſumus a Deo, cuius dumtaxat ope, excuſſa ea, quae oculis noſtris nunc obverſatur, caligine, oculorum aciem propius admovemus ad ea, quae modo extra noſtram poteſtatem poſita veneramur. Quod cum intelligere nolint recentiores quidam iuris Magiſtri, qui ſine afflatu di-

Digitized by Google

vino ſe magnos eſſe viros putant, diſciplinam morum, quam a natura hauſimus, & puram, ſanctam immaculatam revelatione cuſtodimus, depravant atque corrumpunt. Haud multi equidem cum Spinoſa, & Hobbeſio quibus an morem geſſerint Baelius, Alembert, Roſſeau, nonnullique alii, qui cum leviſſimi ſint, ſpiritus tamen fortes gaudent nuncupari, illorum iudicium ſit qui rem ex aequo conſiderant; haud, inquam, multi cum huiuſmodi perditae conſcietiae viris Deum ex natura, hominemque ex homine ſuſtulerunt; divini nempe Numinis cogitatio, & inſitae naturae hominum leges ita inhaerent, ut nulla poſſint arte, nulla induſtria praefocari; At quamvis aut atheiſticam impietatem, aut improbitatem hobbeſianam ferre nequeant homines corruptiſſimi, plurimi tamen ad divinae diſpenſationis oeconomiam convellendam vires omnes contulerunt, atque in animum ſibi induxere (etſi Chriſtano glorientur nomine) ipſam doctrinam Chriſti prorſus inutilem eſſe hominibus, ſpuriam, interpolatam, ac propterea eliminandam a iure naturae, cuius omnia dictata ad imbecillem, infirmamque rationem tamquam ad lydium lapidem explorare voluerunt. Hinc Puffendorfius Decalogum civilem Haebraeorum legem appellare non dubitavit; Evangelica praecepta non ad praeſentem vitam pertinere, ſi qua eſt Wolfius adſeruit, & Barbeyracius Sanctos Eccleſiae Patres non ſolum in doctrina morali parum, aut nihil ſciviſſe, ſed varia, noxia, & erronea, ac non ſolum luci Evangelii, ſed & iuri naturae adverſantia dogmata in animis auditorum diſſeminaviſſe: uno tandem ore conſentiunt omnia in confuſiſſimum Chaos conflatum iri, niſi iuris naturae obiecta ab obiectis Religionis, Theologiae moralis, Iuriſprudentiae civilis ſecernantur; quaſi nempe magnum incubuerit humano generi periculum, quum iſthac diſtinctione caruit, hiſve, qui de Coelo cecidere Catones. Verendum potius ne obtentu naturalis iuſtitae, & honeſtatis prodeuntes hi feſtivi Saperdae, qui quamlibet obſtruſiorem ſcientiam reſcreſſe ſibi blandiuntur, incautis fucum faciant, fidei, ac pietatis nervos omnes incidant, ac damnum inferant extremum ſocietati, ac Religioni. Quum igitur in hoc tentamine adverſus Novatores ſit diſputandum de antiqua illa Sapientia, qua ſublata, & fidem, & ſanctitatem tolli

li

li, & ſocietatem humani generis perturbari neceſſe eſt, Te Virum Optimum, & Ornatiſſimum humanae ſocietatis officiorum ſcientem, & intemeratae morum diſciplinae Vindicem poſtulavi, ut hos qualeſcumque conatus noſtros protegeres, atque tuereris. Quid enim magnopere communi bono, reique publicae interſit tu probe noſti; illis videlicet artibus iam inde a puero eruditus, quibus ad iuſtitiae, boneſtatiſquae normam animus informatur, vix ac ab humanioribus litteris fueras expeditus, ad Iuris utriuſque ſcientiam omnem operam contuliſti, quo quidem in ſtudio quantum doctrinae ſis conſequutus, & publicae ea de re propugnatae Theſes, & laurea, qua fuiſti omnium plauſu donatus, & luculentiſſima alia monumenta commoſtrant; quo tamen non uno tantum modo ſocietati prodeſſes, id ferentibus rerum tuarum circumſtantiis, minime vero intermiſſo ſcientiarum ſtudio, quo nihil magis in deliciis tibi unquam extitit ad mercaturam laudabiliter exercendam animum adiunxiſti, & quot quantaque edideris ea in re prudentiae, conſilii, aequitatis, atque rectitudinis experimenta omnes norunt, qui nedum Genuae, unde honeſtiſſimo loco ortum ducis, ſed etiam Liburni in incertis, dubiiſque rebus, inque difficilioribus negotiis rite, faciliterque obeundis, tuam iugiter ſententiam exquirebant, te praecipue in conſilium advocabant, tuamque in rebus omnibus, felici ſemper ſucceſſu peragendis honeſtiſſimam dexteritatem, & commendabant maxime, & admirabantur. Quid vero religionem deceat tu etiam probe dignoſcis; haec enim fuit ſemper actionum tuarum norma directrix; utque eidem penitius colendae vacare poſſes (magnum quidem egregiae virtutis, ac moderati animi argumentum) eo plane tempore, quo res tuae feliciori ſydere ducebantur, atque ſuffragari tibi fortuna magis, amplioribuſque comparandis facultatibus, quibus iam cumulatiſſime abundas viam ſternere videbatur, melioris ſortis haud ſane ſollicitus, ac ſatius eſſe ducens, privatam omnino, quae beatior eſſe ſolet, vitam agere, ſemota omni cura, omnique genere negotiorum ommiſſo, Patriae etiam valedicto, in hanc te recepiſti florentiſſimam Civitatem, in qua nobiliora praebens generoſi animi ſigna, in te magis adhuc, magiſque

Digitized by Google

omnium ora, vultuſque converiis: prudentia, atque liberalitate praecipuus, acceſſu facilis, ſermone gravis, ac comptus, exteris, adveniſque e veſtigio noſcendus, non tam fama nominis, quam ſplendido prudentique opum impendio, vultuque illo tuo dignitatis pleniſſimo, atque gratiarum. Haec vident quicumque tua uti ſolent conſuetudine, haec omnes, qui domum tuam, quae litteratorum Virorum domicilium eſt, frequentare conſueverunt; haec inopes qui tuae liberalitatis, pietatiſque fructus uberrimos referre ſolent; haec denique illi non vident, quorum noctuinis oculis lux ipſa pro caligine eſt? Tuos igitur ob oculos ita ſemper communia iura verſantur, ut iure optimo, meritoquae ſeligendus eſſes aequus aeſtimator rerum, quae ad Religionem ſimul pertinent, & ſocietatem. At ſi locus, tempuſve ſinerent, aut ſplendorem familiae tuae vel obiter innuere, aut reliquas animi dotes, quibus praeſtas, ſingillatim recenſere, aut ſingularia in nos collata beneficia enumerare, quot huic iungerentur cauſae reverentiam erga te noſtram publice manifeſtandi? Verum minora haec tuum nil movent animum ad maiora natum, quem diu nobis, omniumque bonorum votis incolumem, ſoſpitemque ſervari, ſicut vere percupimus, ita enixe precamur. Dicebam.

Digitized by Google

DE JURE

NATURAE, ET GENTIUM.

I. PRudenter facit*, ait Cicero *qui audire de ſummo Bono potiſſimum velit*: *hoc enim conſtituto in Philoſophia, conſtituta ſunt omnia.* A ſummo Bono propterea exordimur, quod finis eſt rationalis creaturae, & cum Boetio definimus: *ſtatum omnium bonorum agregatione perfectum.*

II. Statum hunc inaniter Stoici collocarunt in virtute animi, Epicurei in bonis corporis, (1)

& in

(1) Ariſtippum, & Cyrenaicos in corporis voluptate ſummum bonum conſtituiſſe inconcuſſum eſt apud omnes: ad Epicurum quod attinet non deſunt inter Scriptores aliqui, qui ab impuriſſimo errore ipſum expurgare, atque excuſare conati ſunt, contenduntque eum non corporis voluptatem, ſed honeſtam delectationem, mentis tranquillitatem, & doloris vacuitatem, ſummum bonum poſuiſſe. Coeteris copioſius id praeſtitit Auctor, cui titulus: *Epicuro diffeſo*, *Oſſervazioni ſopra la di lui diffeſa*. Venetiis an. 1756. Quo libro non ſolum congerit omnia, quae pro Epicuro, Gaſſendus, & Iacobus Rodellus ſcripſere, ſed omni virium contentione ſatagit oſtendere Epicurum virtutibus omnibus

& in mundana hac, & fucata felicitate Leibnitius, omneſque, qui cum Chriſtiano Thomaſio hanc commendarunt propoſitionem veluti totius juris Naturae fundamentum. *Facienda ſunt omnia, quae vitam hominis reddant maxime diuturnam, & feliciſſimam, & vitam reddat infelicem, & mortem accelerent.* (1)

III. Etenim plena, immutabilis, ſemperque duratura felicitas, quae in ſummi Boni poſſeſſione conſiſtit, rerum omnium creatarum ordinem, & perfectionem excedit. Unde homo, qui finem ſuum naturaliter appetit, eidem aſſequendo impares cum habeat vires, ope Entis infiniti roboretur neceſſe eſt.

IV. Infinitum autem Ens ſupremam habet in res finitas dominationem, quae eidem definiendi leges in inferiores jus parit, & ſudditis parendi legibus naturalem obligationem.

V. Supremi Imperij jus ſola inniti *ineluctabili poteſtate* imperantis, ſubiectaeque naturae imbecillitate Hobbeſio viſum eſt; (2) Aliis apud Pufendorſium (3) originem imperii ducunt *ex eminentia naturae quam ſolam ad obligationem*

actu

nibus praeditum fuiſſe. Quamquam iſthaec non bene cohaereant cum iis, quae de Epicuro ſcripſerunt Laertius, vetereſque Philoſophi, & Eccleſiae Patres, imo eiusdem Epicuri inſtituto, qui ſingula Democriti placita ſecutus eſt; tamen hac de re nos minus ſolliciti, vulgarem, quae de Epicuro circumfertur, doctrinam hic innuimus tantum, ac refellimus.

(1) Apud Hein. lib. 1. cap. 3. §. 76. Elem. Iuris Naturae, & Gentium.

(2) Leviath. cap. 13. *Regni divini naturalis ius derivatur ab eo, quod, divinae potentiae reſiſtere impoſſibile ſit.* Et de Cive cap. 17. *quod ſi ius regnandi habeat Deus ab omnipotentia ſua, manifeſtum eſt obligationem ad praeſtandum ipſi obedientiam incumbere omnibus propter imbecillitatem.*

(3) De jure Nat. & Gent. lib. 1. cap. 6. §. 11.

Digitized by Google

actu generandam ſufficere tradunt. Barbeyracius tandem unum contendit eſſe generale obligationis principium, ex eo quod *naturâ ſubditi ſumus, quia conditi*. Quorum ſententiae ſolvendae queſtioni inſufficientes nobis eſſe videntur.

VI. Illudque duntaxat ſupremi Imperij fundamentum eſſe arbitramur, quod a ſumma poteſtate, cum ſapientia ſimul, ac ſumma bonitatae coniuncta derivatur.

VII. In ipſo igitur ſtatu naturali (1) exlegem hominem penitus fuiſſe repugnat. Immo conveniens maxime ſubiici rationi ſempiternae ſapientiae, qua mundi univerſitas regitur, & legem Dei aeternam appellamus.

VIII. Innoteſcit autem nobis lex aeterna per dictamen rationis rectae, ſeu legem, *quam non didicimus, accepimus, legimus; verûm a natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreximus; ad quam non docti, ſed facti, non iſtituti, ſed imbuti ſumus*.

IX Cumque videamus *hanc Sapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed aeternum quiddam*; eos probare haud poſſumus, qui naturalem legem ex pactis hominum, & conventionibus derivatam putant, (2) aut ex aſſuetudine, vel ſapientum magi-

 ſterio

(1) Statum naturalem dicimus prout diſtinguitur a ſtatu adventitio, in quo aliqua ſupervenit libertati circumſcriptio vel ex proprio facto, ut in ſtatu coniugali; vel ex alieno propter ſubiectionem introducto dominio, & poteſtati.

(2) Hobb. de Cive cap. 1. ſect. 10. *Natura*, ait, *dedit unicuique ius in omnia: hoc eſt in ſtatu mere naturali; ſive antequam homines ullis pactis ſe ſe obſtrinxiſſent, unicuique licebat facere quaecumque, & in quoſcumque, licebat &c.*

ſterio, communive conſenſu autumant efformatam. (1)

X. Itaque per legem naturalem ex aeterna, atque immutabili lege manantem definimus humanorum actuum juſtitiam, atque injuſtitiam, quae quamlibet voluntariam legem antecedit. (2) Unde impie ab Hobbeſio dictum in Levitanae *notionem aequi, & iniqui, juſti, & injuſti in ſtatu naturali locum habere nullum, nullamque eſſe legem, ubi communis, & publica non eſt poteſtas.*

XI. Leges ergo, quae *poſitivae* nominantur, & *civiles* Magiſtratum, cum aliquid ſanciunt, quod antea praeceptum non fuerat, adeoque nec illicitum, hoc ipſo, quod exinde licitum ſit, ex naturali juſtitia, & aequitate pendet, quae omnem legem antecedit, quaequae alteri quidem Ius, & Auctoritatem imperandi contulit, alteri obediendi officium.

XII. Sed & illud eodem Auctore magis impie conſtitutum ſtatum naturae eſſe Belli *omnium in omnes*, proinde admittendas in eo eſſe *Omnium adverſus omnes perpetuas ſuſpiciones, ſpemque unicuique ſecuritatis in eo ſitam eſſe, ut viribus, artibuſque propriis proximum ſuum vel palam,*

(1) Pufendorf. lib. 2. de Iure Nat. & Gent. cap. 3. §. 13. *Quod in pueris, & rudi vulgo magna deprehenditur facilitas aequum ab iniquo diſcernendi, id ex aſſuetudine provenit, dum a teneris annis, & ſtatim ac aliquem uſum rationis exſerunt, vident bona probari, mala improbari, & illa laudem, haec poenam ſequi.*

(2) Hallucinationem notamus Samuelis de Cocceiis, qui Differt. prol. in Hug. Grotium cap. 2. ſect. 3. Se non poſſe ſuffragari, ait, huic Scholaſticorum ſententiae de intrinſeca actionum moralitate, quia extituram, inquit, adſerunt, etiamſi Deus non eſſet. Neque enim principium aliquod Coaeternum Deo adiungimus, quod ipſe ſequi in aſſignandis rerum formis neceſſum habuerit.

Digitized by Google

lam, *vel ex inſidiis praeoccupare poſſit*. Quae omnia ut oppoſita aliis doctrinae ſuae principiis ex ſe ſe corruunt, conciduntque. (1)

XIII. Neque vero monſtruoſo Syſtemati adſtipulamur, ſi cotendamus homines ad pacem natos, ipſo jure naturae poſſe arma ſumere in armatos, bellumque gerere, ſive in primaevo ſtatu conſiderentur, ſive in ſocietate conſtituti, ſive tandem in Civitate collecti alieno ſubdantur imperio. (2)

XIV. Richardus Cumberlandius ſua in diſquiſitione de legibus naturae Hobbeſiana juris principia confutare aggreſſus in extremum delapſus videtur. Hobbeſio etenim mutuum in omnes bellum conſtituenti oppoſuit pro vero, atque praecipuo legum naturalium fundamento mutuam omnium, ac ſingulorum agentium naturalium benevolentiam, in eaque ſtatuum omnium benevolorum, quem aſſequi poſſunt, ſe-

(1) D. Marchio Ioan Paolucci Patritius Piſaurenſis, arcisque Praefectus vir quidem omnigenae eruditionis, ſed in rebus praeſertim Metaphyſicis omnino verſatus, doctiſſima Diſſertatione, quam ab eodem audivimus, in publicam fortaſſis lucem prodituram, pluribus, ſolidisque rationibus oſtendere aggreſſus eſt ſtatum hominis naturalem ad utrumque perinde ſe habere, neque praeciſe eſſe *pacis*, aut *belli*, ſed eſſe penitus adiaphorum, & ad alterutrum moveri dumtaxat ex occaſione, atque circumſtantiis pacem, bellumve ſuadentibus: qua in re argumentis utitur, ut inquiunt, ad hominem, poſitis nimirum Hobbesii, Puſendorfii aliorumque huius furfuris hominum principiis, quae tamen vir alioquin ingenuus, atque pientiſſimus nonniſi hypothetice uſurpat: nos vero diverſa cogimur, eademque Religioni conſona ſectari principia, adeoque ſtatum naturae eſſe ſtatum pacis conſtanter aſſeveramus,

(2) Praeſupponimus in bello cauſam iuſtam, intentionem rectam, & ſi loquamur de ſtatu adventitio, legitimam auctoritatem. Hoc enim in ſtatu, ſublato jure belli privati, niſi geratur cum moderamine inculpatae tutelae, ut aiunt, jus belli ad ſupremas poteſtates delatum intelligitur.

Digitized by Google

feliciſſimum collocavit. Quod minus congruum arbitramur vaere illi Philoſopiae, *quae nos primum ad Dei cultum, deindae ad jus hominum, quod ſitum eſt in generis humani societate, tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudivit*.

XV. Eorum inſuper Syſtema, qui pro principio *eſſendi* juris naturae *ſocialitatem* invexere, (1) ad quam nos ipſa natura compellit, originem debet [ſi hiſce in rebus probabili conjectura uti fas ſit] falſis Veterum Gentilium opinionibus, qui unum Deorum, hominumque genus eſſe dicebant, & unumquemque noſtrum huius mundi eſſe partem, aut auram diremptam ab grandi anima mundi; unde & communis cognatio mentis, & ſanguinis, qua ad ſocietatem omnium congenerum promovendam, ſervandamque raperemur.

XVI. Quamvis autem homines ad aliquam ſocietatem ferri nemo in dubium revocaverit, negamus tamen vel natura duce, vel neceſſitate trahi ad eam univerſalem ſocietatem, quam pro juris ſantiſſimi fonte *ſocialiſtae* conſtitunt. Nam & oſtenſuri ſumus *eſſe quoddam, quod augurantur homines juſtum, vel injuſtum, etſi nulla ſocietas invicem ſit*.

XVII.

(1) Hugoni Grotio tribuitur ſocialitatis ſyſtema, eumque ſecuti Puſendorſius, Thomaſius, Fleisherius, Wolſius, & alii ita intra fines tranquillae ſocietatis humanae jus naturae continuere, ut extiturum pertendant, etſi detur Deum non eſſe: moralitatem propterea, quae actionibus ineſt humanis, definiendam eſſe ex convenientia, aut diſconvenientia cum natura ſociali.

XVII. Econtra nil ſacri humano generi ſupereſt, nil clam peccanti, vel viribus praepollenti obligationem pareret ſervandi jura naturae, abſtinendique ab injuria invaſionibus crudelitate &c. ſi conciperemus Deum non eſſe: ac proinde jus naturae cuicumque perſonae, omnique tempore accommodatum ſine Deo nec eſſe, nec concipi poteſt.

XVIII. Ex quibus meridiana luce evidentius apparet penitus coecutire novellos Iuris Tractatores (1) qui cum Chriſtiano glorientur nomine in tradenda doctrina *juſti*, *honeſti*, atque *decori* a Deo, deique notitia abſtinendum putant.

XIX. Videntuſque Atheiſmum fovere, & propagare veteribus Philoſophis iniquiores. Hi etenim quamque Ethnici, clariori propterea firmiorique divini Numinis cognitione deſtiti, ſublato Deo, & ordinatam ſocietatem, & fidem, & unam excellentiſſimam virtutem juſtitiam tolli neceſſario exiſtimarunt.

XX Juxta omnium Atheorum votum Deo quoque,

(1) Hobb de Cive cap. 14. ait ſe legem aliquam, juxta quam injuſtitiae damnare poſſet Atheos, & diligentiſſime quaeſiviſſe, ſed inveniſſe nullam. Rondin. in praef. Erid. ſcand. Puſend *Puſendorfii meus eſt jus univerſale deducendum eſſe e principiis lumine rationis cognitis, quo illud ſit ad captum omnium hominum* QUAMCUMQUE CIRCA SACRA PERSUASIONEM FOVEANT; *quod idem idoneum ſit ad dirigendas omnium inter ſe hominum actiones* NULLO RELIGIONIS DISCRIMINE. Chriſt Thomas, Religionem naturalem ad figmenta reiicit, & quae deducuntur inde pertinere ait ad Dominos Theologos, ſic ut toto capite de Officiis erga Deum tamquam a Iurisprudentia alieno ſuperſedere potuiſſet. Fund. J. Nat. & Gent. lib. 2. cap. 1.

que, Deique providentiae plurimum detrahunt praefati Auctores, ac conſequenter jus naturae ſubvertunt, quum juſtitiam ſancte cuſtodiri poſſe docent, humanique generis ordinatiſſimam ſocietatem contineri ſine religione, quae ſpem, metumque futuri hominum ſtatus poſt fata proponit.

XXI. Hanc etenim Religionem ex communi omnium temporum, ac populorum conſenſu Barbaros etiam quodam modo coluiſſe ſcimus, qui neque ullam duraturam ſocietatem inire potuiſſent, ni ſaltem apud eos, quibus regendae ſocietatis cura fuerat demandata, de animorum immortalitate conſtitiſſet.

XXII. Si vero ſuperſtitioſis ritibus corrupta, falſiſque depravata commentis, uti in Idolatris haec Religio concipiatur, cum tamen duo illa capita, axiſtentiae Dei, & futuri hominum, ſtatus, ſemper praeferat, quae in actiones hominum, proindeque, & in ordinem ſocietatis maxime influunt; Baelio aſſentiri non poſſumus contendenti, quoad ſocietatem pertinet, Atheiſmum idolatricae religioni eſſe anteponendum. (1)

XXIII. Qui autem Stoicorum aeternam, atque immutabilem honeſtatem jactant, uti ſufficientem cauſam ad bene, ſapienterque operandum [in praeſenti praecipue rerum ſtatu, in quo oppoſiti virtuti affectus ſaepiſſimae domi-

(1) Penſées diverſes ſur les Cometes chap. 178. & ſuiv. l' addit. a ces penſées div. chap. 143.

minantur] eos a vero longe, lateque aberrare contendimus. (1)

XXIV. Immo doctrinam invehunt, quae nulla ratione cum dogmatibus Chriſtianorum conciliari poteſt, qui quantalibet perfectione polleant, ita ſectantur virtutem, Deumque diligunt, ut ab ſpe futuri praemii, quod Deus eſt nequeant abſtinere. (2)

XXV. Neque mirum aliena prorſus eſſe a perfecta Chriſtianorum Philoſophia Stoicae Sectae documenta, cuius principia iis ſunt agnata, quae veluti opinionum monſtra in ſpinoſa cuiusvis ſcholae Philoſophi deteſtantur, & horrent.

XXVI. Itaque in tradenda doctrina iuris naturae neceſſaria Religio eſt, quae & Deum eſſe docet, & unicuique poſt mortem pro meritis compenſaturum. Quorum cognitio dogmatum ut practica evadat in morum diſciplina, inſerviatque ordinatae ſocietati inſtituendae, ſola hu-

(1) Virtutem, qua ſapiens homo eſt, qua *integer*, *ſcelerisque*, *purus*, honeſtatem huius etiam vitae, minuendae infelicitati, augendaeque felicitati aptam natam ſoli Chriſtianorum Religioni Sanctae tribuimus: virtuti vero, quam Stoici ſequi credebant, non maiorem animi tranquillitatem, quam quae eos afficit, qui malae conſuetudini, vel depravatae rationi indulgentes, in ipſa impietate beata animi tranquillitate frui ſibi blandiuntur. Num autem felicitas orta ex virtute veri propriique finis neſcia, poſſit ullo modo comparari, cum illius animi tranquillitate, qui in ſpe beati finis, impavide quieſcit, indices ſint, qui ſapientiores eſſe videntur

(2) Sunt qui Stoicorum virtuti, quam Lokius *Coeli* filiam appellat ſine *dote*, qua in Matrimonium duci queat, *dotem* al quam aſſignant in ſpe futuri melioris proborum ſaltem ſtatus; hanc tamen dotem fidentius aſſerimus, Stoicos a quibusdam ſectae patronis mutuatos eſſe, cum ex eorum intimioribus decretis, non glorioſis quorumdam ſententiis, certo ſciamus, ſi vita ſapientis foret aeterna, apud Stoicos nullo modo fieri feliciorem, cum ſapiens neque vitam, neque bona vitae, requiret, & optet.

Digitized by Google

humana ratiocinatione haberi nequit, ſed divina revelatione fulciatur neceſſe eſt; qua qui omnino caruere, vel uti impudentiſſime detractarunt, imperfectam dumtaxat juris doctrinam tradere potuerunt.

XXVII. Pufendorſius igitur, Thomaſius, Gundlingius, Heineccius, & coeteri, qui ubique jus *naturae* crepant, nec aliud agnoſcunt, quam quod ex ratione derivatur, Chriſtum vero, Apoſtolos, ſcripturam ſacram procul abeſſe clamant, *miſerabilem Philoſophiam tradunt, quae magnum numerum meliorum nationis ingeniorum perdidit* (1), neque ullo modo comparandam cum excellentiori jure Chriſtianorum, qui in ſacra Scriptura, & revelatione corruptae hominum naturae, imbecillique rationi praeſidium quaerunt.

XXVIII. Deus itaque Auctor juris eſt, quod cum ipſo homine coepit, dicti merito a Tertulliano *primordialis lex*, & quaſi *matrix* omnium praeceptorum, cum non ſolum omnes anteceſſerit leges, omnibusque latius pateat, verum etiam quia ex naturali jure tamquam fonte profluit quidquid in aliis legibus juſtum eſt.

XXIX. Neque omni deſtituitur fundamento eorum opinio, ut ex inſtituto oſtendit Joannes Seldenus (2), qui exiſtimant ipſum Auctorem juris hoc idem peccandi conſuetudine pene obliteratum inſtauraſſe ſeptem prçeptis Noacho datis, ut communis fert Hebraeorum traditio.

XXX. Fi-

(1) Wilmontius apud Burnetum. tium. Iuxta diſcip. Hobb. lib. 7.
(2) De Iure Naturae, & Gen- cap. 11.

Digitized by Google

XXX. Fidentius tamen dicimus in Decalogo per Moyſem promulgato veluti in perpetua divini Numinis ſanctione univerſum naturae jus toti humano generi commune contineri (1), ſi praeceptum de Sabbati ſanctificatione excipias quod qua parte tempus determinat *coeremoniale* nuncupatur. Hinc merito Hobbeſium (2) reprehendimus, & Puſendorfium (3) qui Decalogi praecepta leges civiles populi Iſraelitici, vel potius ſumma capita Iuris Civilis appellant.

XXXI. Ius, inquam, toti humano generi quoad prima ſaltem principia cognitum, perſpectumque omnes omnino continet, & obligat; ut impia non minus, quam ſtolida ſit eorum ſententia, qui potentiam ab omni jure abſolventes jactant. *In ſumma fortuna id aequius, quod validus: Decalogum legem privatorum eſſe, latioremque licentiam datam potentioribus.*

XXXII. Hinc maxime & eos falli pertendimus, qui apud belligeras gentes, in ipſoque bello, om-

(1) Continentur juris naturalis praecepta in Decalogo, ſive expreſſe, & determinate, ſive ut principia in concluſionibus proximis, ſive tandem ut concluſiones in principiis; & haec illa ſunt, quae per inquiſitionem Sapientum inveniuntur rationi convenire, quaeque ad omnes perveniunt Sapientum magiſterio, ut ait Doctor praeclariſſimus Auguſtinus.

(2) De Cive cap. 14 §9. *Parentibus honorem civili lege definitum non denegabis: hominem, quem leges vetant occidere, non occides: legibus vetitum concubitum fugies: rem alienam domino invito ne auferas &c.*

(3) De jure Nat & Gent. lib. 8. cap. 1. §. 4. *De coetero pleraque praecepta Decalogi materialiter utique ad jus naturale referuntur. Quando tamen conſiderantur prout duabus tabulis inſculpta, & per Moſem populo iſraelitico promulgata, civiles leges recte vocari poſſunt, vel potius ſumma capita Juris civilis ejus populi, quae deinceps in ſpecialia praecepta additis ſanctionibus poenalibus diſpeſcuntur.*

omnia jura ceſſare arbitrantur: tum Regni cauſa jus violari debere. Quidquid enim ſit de legibus civilibus, & judiciariis, aut iis, quae pacis ſunt propriae, tam belli, quam pacis tempore jus nobis a natura inditum perpetuo eſt obſervandum. Impie enim Reipublicae conſuleretur, ait Cicero, ſi laedenda foret pietas, & honeſtas, nec credendum aliquid Reipublicae ſalutare, quod non ſit conſonum pietati, atque juſtitiae, quae tota naturali jure concluditur.

XXXIII. Haud tamen adeo patens eſt jus naturae, ut animalia quoque bruta comprehendat, ut habet Ulpiani definitio; (1) *Etenim ſoli ratione utentes jure, & lege vivunt*; Coetera vero lege illa promiſcua, quae eſt ordo, & moderamen omnium motuum, quibus ſingulae creaturae volvuntur, quaeque longe, lateque adeo vagantur, ut iſtius Univerſi res omnes concludat, & regat.

XXXIV. Quemadmodum vero nil officit juris univerſalitati, ſi barbarae Nationes, & effraenes quidam populi praeruptis Naturae repagulis ad peſſimos mores deflexi in ipſum Naturae jus enormiter peccent; ita nec quidquam detrahit ejusdem legis immutabilitati: *Natura enim eſt perpetua; corruptela autem eſt a mala conſuetudine*,

XXXV. Adeoque invariabilis eſt, & immota, *ut*

(1) L. b. 1. § 3. de Juſt. & Jure. *Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus iſtud non humani generis propium eſt, ſed omnium animalium, quae in Coelo, quae in terra, quae in mari naſcuntur.*

Digitized by Google

ut huic legi nec abrogari fas ſit, neque derogari ex hac aliquid liceat, neque tota abrogari poſſit. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Sed nec quidquam Eccleſia poteſt indulgere contra legem illam ſempiternam, *cujus eſt Imperator omnium Deus, inventor, diſceptator, lator.* (1)

XXXVI. Immo cum hujusmodi conſtans lex *poſita in incommutabilibus rerum relationibus non tum demum incoeperit lex eſſe cum ſcripta eſt, ſed tum cum orta eſt; orta autem ſimul ſit cum mente divina.* Nec Deum ipſum aliter praecipere poſſe ſentimus, ne id, quod ex convenientia cum eſſentia divina *eſſentialiter* bonum eſt, eodem manente ordine ſit malum.

XXXVII. Propterea locutionibus minus aptis utuntur, qui Deum oppoſitas ſanctis naturae dictatis interdum decreviſſe leges, vel in poſterum decernere poſſe affirmant.

XXXVIII Juri naturae additur jus alterum ex communi populorum ſaltem moratiorum conſenſu praeſcriptum, quod *Gentium* appellari conſuevit, fovendae humani generis ſocietati, atque utilitati maxime accommodatum, & definiri poteſt cum Hugone Grotio, *Conventio tacita, vigore cujus gentes ut tales obligatione mutua conſociantur in ordine ad illa, quae ad communem ipſarum felicitatem pertinent.* (2) Per-

(1) Cic. apud Lactant. Inſtit. div. lib. 6. cap. 8.

(2) Alii cum Vitriario inſtit. J. N. & G. cap. 1. num. 12. Jus Gentium definiunt *ordinationem rationis diuturnis gentium moribus ad communem utilitatem gentium, qua talium conſtitutum.* Utraque definitio ſatis hujus Juris naturam exponit; parumque intereſt utrum dicamus *formaliter* conſtitui per conventionem tacitam, ac per uſum, & conſuetudinem, cum ipſemet uſus longaevus aut ſupponat tacitam conventionem, aut illam conſtituat.

Digitized by Google

XXXIX. Perperam, & inofficioſe eumdem Grotium nonnulli (1) carpunt, quod diſtinctum definierit ius gentium a iure Naturae. Tam enim efficiens cauſa, obiectum, & proprietates unius ab altero differunt, ut nonniſi praefidentia dici poſſit *Rationes eos fugere, qui neſcio quod jus Gentium a jure Naturae diverſum ſibi fingunt*. (2)

XL. Etſi vero male confundatur utrunque, quaſi nempe eadem, quae dicitur lex hominum naturalis, ſit naturalis Civitatum, & Gentium, non inficiamur tamen quamdam habere affinitatem inter ſe ſe, cum utrumque ſit Commune Gentibus, fundetur utrumque in convenientia cum humana ratione, intendatque publicam ſocietatis humanae felicitatem: Ius quidem Gentium uti finem proprium, & adaequatum: illud autem ut ſecundarium, cum uti initio ex Cicerone adnotabamus, jus naturae primario, & principaliter ſummum bonum reſpiciat, ſine quo & ratio vivendi ignoretur neceſſe eſt, & erremus a ſtatu plenae, atque perfectae felicitatis perpetuo extorres.

(1) Thomaſius in notis ad Pufend. de officiis Hom & Civ. cap. 4. §. 13. Grotium appellat *juris Gentium voluntarii magno niſu vanum fabricatorem*.

(2) Hein. lib. 1 de Jure Nat. & Gent. cap. 1. § 21.

Publice diſputabuntur Florentiae in Templo S. Spiritus anno 1765 *menſe Novembris die* 25. *Adſiſtente Fr.* Josepho Lucciardi *Genuenſi, & in eodem Collegio ſtudiorum M. Regente.*

Digitized by Google

Digitized by Google